



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XVIII. Vt praelati prouideant magistris scholarum necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

trum veniunt instituta. Si autem huiusmodi con-
suetudines, * quæ ratione iuuantur, & sacrī con-
gruunt institutis, * irritare præsumperit, donec
congruam egerit pœnitentiam, a dominici corpo-
ris perceptione fiat alienus.

XVII.

Quoniam in quibusdam locis ecclesiarum fun-
datores, aut heredes eorum potestate in qua eos
ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur: & cum in
ecclesia Dei vñus debeat esse qui præsit, ipsi plures
sine respectu subiectionis eligere moluntur: &
cum vna ecclesia vnius debeat esse rectoris, pro sua
defensione plurimos repræsentant. Quocirca præ-
senti decreto statuimus, vt si forte in plures partes
fundatorum se vota * diffuderint, ille præficiatur^{dissimilans}
ecclesiæ, qui maioribus iuuatur meritis, & pluri-
morum elititur & probatur assensu. Si autem hoc
sine scandalo fieri nequuerit, ordinet antistes ec-
clesiam, sicut melius secundum Deum viderit or-
dinandam. Idipsum etiam faciat, si de iure patro-
natus quæstio emerserit inter aliquos, & cui com-
petat, infra * tres menses non fuerit definitum.

XVIII.

Quoniam ecclesia Dei & in iis quæ spectant ad
subsidiū corporis, & in iis quæ ad profectum ve-
niunt animarum, indigentibus sicut pia mater pro-
uidere tenetur: ne pauperibus, qui parentum op-
ibus iuuari non possunt, legendi, & proficiendi op-
portunitas subtrahatur, per vnamquamque eccl-
esiām cathedralē magistro, qui clericos eiusdem
ecclesiæ, & scholares pauperes gratis doceat, com-

ANNO
CHRISTI
1179. petens aliquod beneficium assignetur, quo docen-
tis necessitas subleuetur, & discentibus via pateat ad
doctrinam. In aliis quoque restituatur ecclesiis siue
monasteriis, si retroactis temporibus aliquid in eis
ad hoc fuerit deputatum. Pro licentia vero docen-
di nullus precium exigat, vel sub obtentu alicuius
consuetudinis, ab iis qui docent, aliquid quærat:
nec docere quempiam, petita licentia, qui sit ido-
neus, interdicat. Qui vero contra hoc venire præ-
sumperit, a beneficio ecclesiastico fiat alienus. Di-
gnum quidem esse videtur, vt in ecclesia Dei fru-
ctum laboris sui non habeat, qui cupiditate animi
vendit licentiam docendi * ecclesiarum profectum
nititur impedire.

*eccle-
siasticum

XIX.

Non minus pro peccato eorum qui faciunt,
quam pro illorum detimento, qui sustinent, gra-
ue nimis esse dignoscitur, quod in diuersis partibus
mundi rectores, & consules ciuitatum, nec non &
alii qui potestatem habere videntur, tot ecclesiis
frequenter onera imponunt, & ita graibus eas
crebrisque exactionibus premunt, vt deterioris
conditionis factum sub eis sacerdotium videatur,
quam sub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis noti-
tiam non habebat. Ille quidem, omnibus aliis fer-
uituti subiectis, sacerdotes suos, & eorum posses-
siones in pristina libertate dimisit, & de publico eis
alimoniam ministravit. Isti vero vniuersa fere one-
ra sua imponunt ecclesiis, & tot angariis eas affli-
gunt, vt illud eis, quod Ieremias deplorat, com-
petere videatur: *Princeps provinciarum facta est sub Thren. 1.*

Gm. 47.